



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ex Recogniti||one Des. Eras-||mi Roterodami.||

Erasmus, Desiderius

Basileae, 1518

VD16 E 3644

Ivlii Capitolini Maximvs Et Balbinvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14277

I V L I I C A P I T O L I N I
M A X I M V S E T B A L
B I N V S .



INTEREMPTIS in Africa Gordiano seniore cum fi-
lio, cum Maximinus ad urbē furēs ueniret, ut quod
Gordiani Augusti appellati fuerant, uindicare: se-
natus pertrepidus in ædem Cōcordiæ VII Cal. Iun-
concurrit, ludis Apollinaribus remedium cōtra furo-
rem hominis improbissimi requirens. Cū igitur duo
consulares, & eminentes quidē uiri Maximus & Bal-
binus, quorum Maximus à plerisq; in historia reti-
cetur, & loco eius Pupieni nomē infertur: cum & De

xippus, & Arabianus Maximū & Balbinum dicant electos contra Maximinū
post Gordianos, quorū alter bonitate, & tute alter, ac seueritate clari habebant:
ingressi essent curiam, ac præcipue timorem Maximini aduentu ferrēt, ostende-
rentq; referente CO S. de alijs rebus, qui primā sententiā erat dicturus, sic orsus
» est. Minora nos sollicitant, & propè aniles res feruentissimo tempore tractamus
» in curia. Quid enim opus est de restitutione templorum, de basilicæ ornatu, de
» thermis Titianis, de exædificatione amphitheatri agere: cum imminet Maxi-
» minus, quē hostem mecum ante dixistis. Gordiani duo, in quibus præsidium
» fuerat, interempti sunt: neq; in præsentī ullum sit auxilium, quo respirare possi-
» mus. Agite igitur P. C. principes dicite, quid moramini: ne, dum singillatim per-
» timestis, in timore potius q̄ in uirtute opprimamini. Post hæc tacētib; cun-
» ctis, cum Maximus, qui & natu grandior erat, & meritis, & uirtute, ac seueritate
» clarior, dicere sententiā cœpisset, qua ostenderet duos principes esse faciendos:
» Vectius Sabinus ex familia Vlpiorū rogato CO S. ut sibi dicere, atq; interfari
» liceret, sic orsus est. Scio P. C. hanc rebus nouis inesse oportere constantiam, ut
» rapienda sint consilia, nō quærenda. Verbis quinetiā plurimis abstinedum sit,
» atq; sententijs, ubi res perurgēt. Ceruices suas quisq; respiciat, uxorē, ac liberos
» cogitet, auitas, patriasq; fortunas: quibus omnibus imminet Maximinus natu-
» ra furiosus, truculētus, immanis. Causa uero (ut sibi uidetur) satis iusta, truculen-
» tior ille quadrato agmine castris ubiq; positis, ad urbem tendit. Vos sedendo,
» & cōsultando diem teritis: longa oratione opus nō est: faciēdus est imperator,
» imo faciendi sunt principes. Vnus, qui res domesticas: alter, qui bellicas curet.
» Vnus, qui in urbe resideat: alter, qui obuiā cum exercitu latronibus pergat. Ego
» principes dico, uos firmate, si placet: sin minus, meliores ostendite. Maximū igi-
» tur, atq; Balbinū, quorum unus in re militari tantus est, ut nobilitatem generis
» splendore uirtutis allegerit: alter ita darus nobilitate est, ut & morum lenitate
» Reip. sit necessarius: & uitæ sanctimonia, quā à prima ætate in studijs semper,
» ac literis tenuit. Habetis sententiā P. C. mihi fortasse periculosiorē, q̄ uobis: sed
» nec uobis satis tutā, si nō aut alios, aut hos principes feceritis. Post hæc acclama-

G 2 tum est

tum est uno cōsensu: Aequū est, iustū est. Sentētiā Sabini omnes cōsentimus. Maxime & Balbine Augusti, dii uos seruent, dii uos principes fecerunt, dii uos cōseruent. Vos senatū à latronibus uindicate, uobis bellū contra latrones mandamus. Hostis publicus Maximinus cū filio pereat, hostem publicū uos persequimini. Felices uos iudicio senatus, felicē Remp. uestro imperio. Quod uobis senatus detulit, fortiter agite: quod uobis senatus detulit, libenter accipite. His atq; alijs acclamationib⁹ imperatores facti sunt Maximus, atq; Balbin⁹. Egressi igitur à senatu, primū Capitoliū ascenderunt, ac rem diuinā fecerunt. Sed dum in Capitolio rem diuinā faciunt, Po. Ro. imperio Maximi contradixit: timebāt enim seueritatē eius homines uulgares. Quare factum est, ut Gordianū adolescentulū principē peterent, qui statim factus est: nec prius permissi sunt ad palatium stipatis armis ire, q̄ nepotē Gordiani Cæsaris nomine nūcuparent. Deinde ad rostra populū cōuocarunt: Vbi cū orationē de senatus sentētia, & de sua electione habuissent, Po. Ro. cum militibus, qui forte conuenerant, acclamauit: Gordianū Cæsarem omnes rogamus. Hic nepos erat Gordiani ex filia, ut quidam: uel, ut alij, ex filio, qui est in Africa occisus, annū agens ætatis XIII. ut pleriq; dicunt, qui statim raptus est, & nouo genere senatusconsulti cum eadē die senatusconsultū factum esset, inductus in curiā, Cæsar est appellatus. Prima igitur relatio principū fuit, ut duo Gordiani Diui appellarentur. Aliqui autē unū putant appellatū, seniorē uidelicet. Sed ego libris, quos Iunius Cordus affatim scripsit, legisse memini ambos in deos relatos. Siquidē senior laqueo uitam finit: iunior autē in bello cōsumptus est. Qui utiq; maiorē meretur reuerentiam, quod eū bella rapuere. Post has igitur relationes præfectura urbis in Sabinū collata est, uirum grauem, & Maximi moribus cōgruentē: prætoriana in Pinarium Valentē. Sed prius q̄ de actibus eorū loquar, placet aliqua dicere de moribus atq; genere: nō eo modo quo Iunius Cordus est p̄secutus omnia, sed illo quo Suetonius Tranquillus, & Valerius Marcellus: q̄uis Curius Fortunatius, qui omnē hanc historiā perscripsit, plura contigerit: Cordus uero tam multa, ut etiā pleraq; & minus honesta perscripserit. Maximo pater fuit Maximus unus è plebe, ut nōnulli dicunt, faber ferrarius: ut alij, ueredarius, uehicularius fabricator: hunc suscepit ex uxore Prima nomine. Cui fratres quatuor uiri fuerunt, & quatuor puellæ, qui omnes in pubertate interierunt. Nato Maximo, carnē bubulā, & quidē multam, aquila in cellam eorū proieciisse fertur, quæ angusto patebat impluuiō: eam deniq; cum iaceret, nec quisq; attingere auderet religionis timore, iterū sustulisse, & in proximū sacellum, quod erat Iouis, præstiti detulisse. Id eo tempore nihil uisum est ominis habere, sed nō sine causa factum probauit imperiū. Pueritiā omnē in domo patris Pinarij fecit, quē statim ad præfecturā prætorij subuexit, ubi factus est imperator. Operā grāmatico, rhetori nō multā dedit. Siquidē semper uirtuti, & militari seueritati studuit. Attamen militaris tribunus fuit, & multos egit numeros, & postea præturā sumptu Pescenninæ Marcellinæ, quæ illum loco filij suscepit, & aluerat. Inde proconsulatū Bithyniæ egit, & deinceps Græciæ, ac tertio Narbonæ. Missus præterea legatus Sarmatas

Prima relatio.
no.

Sarmatas in Illyrico contudit: atq; inde translatus ad Rhenū, rem contra Germanos satis feliciter gessit. Post hæc præfectus urbis prudētissimus, ac ingeniosissimus, & seuerissimus approbatus est. Quare ueluti senatus ei homini, quod nō licebat nouæ familiæ, imperiū tamen detulit, confessis omnibus eo tempore in senatu aptiorem nō esse, qui deberet principis nomē accipere. Et quoniā etiā minora pleriq; desyderant, fuit cibi auidus, uini parcissimus, ad rem uenereā nimis rarus: domi, forisq; semp seuerus, ita ut & tristis cognomē acciperet. Vultu grauissimus, & uerecundus, statura procerus, corporis qualitate sanissimus, moribus aspernabilis, attamē iustus, neq; unq; usq; ad exitum negociorū uel inhumanus, uel indēmēs. Rogatus semper ignouit, nec iratus est, nisi ubi eum irasci decuit. Factionibus se nunq; præbuit, iudicij tenax fuit, neq; alius potius q; sibi credidit. Quare & à senatu multū dilectus est, & à populo timori habitus: siquidem sciebat populus eius censoriā præfecturā, quam uidebat posse in imperio uehementius cōualescere. Balbinus nobilissimus, & iterū COS. rector prouinciarum infinitarū. Nam & Asiam, & Africam, & Bithyniā, & Galatiā, & Pontum, & Thracias, & Gallias ciuilibus administrationibus rexerat, ducto nōnunq; exercitu: sed rebus bellicis minor fuerat q; ciuilibus. Attamen bonitate, nimia sanctitate, ac uerecundia ingentē sibi amorē conciliauerat. Familiæ uetustissimæ, ut ipse dicebat, à Balbo Cornelio Theophane originē ducēs, qui per Cn. Pompeium ciuitatē meruerat, cū esset suæ patriæ nobilissimus, idemq; historiæ scriptor. Statura æque procerus, corporis qualitate conspicuus, in uoluptatibus nimius, quē quidē adiuuabat diuitiarū abundantia: nam erat à maioribus diues, & multa hæreditatib; per se ipse collegerat. Eloquētia clarus, poemata inter sui tēporis Poetas plurima fecit, præcipiti usu, uini, cibi, rei uenereæ auidus, uestitus cultus: nec quicq; defuit, quod illū populo nō cōmendabilē redderet. Amabilis etiā senatui fuit. Hæc de utriusq; uita cōperimus. Deniq; nōnulli quēadmodū Catonem & Cæsarē Salustius cōparat, ita hunc quoq; comparandū putant: ut alterum seuerum, dementem alterum: bonū illum, istum constantē: illum nihil largientem, hunc affluētē copijs omnibus dicerent. Hæc de moribus, atq; genere. Decretis ergo omnibus imperatorijs honoribus, atq; insignibus, percepta Tribunitia potestate, iure proconsulari, pontificatu maximo, patris etiā & patriæ nomine meruerunt imperiū. His gestis, celebratisq; sacris datis ludis scenicis, ludisq; Circensibus, gladiatorio etiam munere, Maximus susceptis uotis in Capitolio ad bellum contra Maximinū missus est, cum exercitu ingenti prætorianis Romæ manētib; . Vnde autē mos tractus sit, ut proficiscentes ad bellū imperatores, munus gladiatorii, & uenatus darent, breuiter dicendū est. Multi dicunt apud ueteres hanc deuotionē contra hostes factam, ut ciuiū sanguine litato specie pugnari se Nemesis, id est, uis quædā fortunæ satiaret. Alij hoc litæ Nemesis, tradunt, quod uerisimilius credo, ituros ad bellum Romanos debuisse pugnare uidere, & uulnera, & ferrum, & nudas inter se cohortes: ne dimicantes in bello armatos hostes timerēt, aut & sanguinē perhorrescerent. Et Maximo quidē ad bellū profecto, Romæ prætoriani remanserunt. Inter quos, & populū tanta

seditio fuit, ut ad bellum intestinū ueniretur, urbis Romæ pars maxima incenderetur, templa scædarentur, omnes plateæ cruore polluerentur: cum Albinus homo senior seditionē sedare non posset. Nā & in publicū processit, manus singulis quibusq; tenuit, & penē ictum lapidis passus est. Alij dicunt etiam fuste percussus esse, neq; sedasse tumultū, nisi infantē Gordianū purpuratum ad populum longissimi hominis collo superpositū pduxisset. Quo uiso, populus, & milites usq; adeo placati sunt, ut amore illius in concordia redirent. Neq; unquam quisq; in illa ætate sic amatus est merito aui, & auūculi, seu patris, ut quidam dicunt, qui p populo Romano cōtra Maximinū in Africa uitam finierāt. Tantū apud Romanos memoria bonarū rerum ualet. Maximo igitur ad bellū profecto, senatus p omnes regiones cōsulares, prætorios, quæstorios, ædilitios, tribunitios etiā uiros misit: ita ut unaquæq; ciuitas frumentū, arma, & ppugnacula & muros pararet, ut per singulas urbes Maximinus fatigaretur. Iustum tunc tamē, ut omnia ex agris in ciuitate colligerentur, ne quid hostis publicus inueniret. Scriptū est præterea ad oēs prouincias missis frumētarijs, iussuq; ut quicūq; Maximinū iuuisset, in hostiū numero duceretur. Inter hæc Romæ iterū seditiones inter populū, & milites ortæ sunt. Et cum mille edicta Albinus pponeret, nec audiret, ueterani se in castra prætoriana cōtulerunt cū ipsis prætorianis, quos cœpit populus obsidere: nec unq; ad amicitiam essent redacti, nisi fistulas aquarias populus incidisset. In urbe autē prius q; dictū esset milites pacatos uenire, & tegula de tectis iactæ sunt, & omnia quæ domibus erāt uasa proiecta. Atq; ideo maior pars ciuitatis periit, & multorū diuitiæ. Nā latrones se militibus miscuerunt ad uastanda ea, quæ norant ubi reperirent. Cum hæc Romæ gererent, Maximus, siue Pupienus apud Rauennā bellum parabat ingenti apparatu, timens uehementissime Maximinū: de quo sapissime dicebat, se non contra hominē, sed cōtra Cyclopē bellum gerere. Et Maximinus quidē apud Aquileiam ita uictus est, ut à suis occideret: caputq; eius, & filij perlatū est Rauennā, quod à Maximo Romā transmissum est. Non tacenda hoc loco deuotio est Aquileiensium pro Romanis, qui etiā crines mulierū pro neruis ad sagittas emittēdas totondisse dicuntur. Tantū sanē lætitiæ fuit in Balbino, qui plus timebat, ut hecatomben faceret. Statim Maximini caput allatū. Hecatombe autē tale sacrificiū est. Centum aræ uno in loco cespitiæ extruuntur, & ad eas centum sues, centum oues maçantur. Nam si imperatoriū sacrificiū sit, centū leones, centū aquilæ: & cætera huiusmodi animalia cetera ferunt. Quod quidē etiā Græci quondā fecisse dicuntur, cū pestilentia laboraret, & à multis imperatoribus id celebratū constat. His igit peractis, Balbinus cum summa gratulatione Maximū redeuntē è Rauēna cū exercitu integro, & copijs expectabat. Siquidē Maximinus ab oppidanis Aquileiensibus, & paucis, qui illic erant, militib; à Crispino & Melephilo cōsularibus, qui à senatu missi fuerāt, uictus est. Ipse autē Maximinus Aquileiam iccirco accesserat, ut omnia tuta, & integra usq; ad Alpes relinqueret. Ac si quæ essent Barbarorū, qui Maximo fauerāt, reliquias, cōpesceret. Missi sunt deniq; ad eū legati senatores xx. quorū nomina sunt apud Cordū: in his consu-

Deuotio.

lares

lares IIII. pratorij VIII. quæstorij VIII. cum coronis, & senatusconsultū, in quo ei statuæ auratæ equestres decernebantur. Ex quo quidem Balbinus subiratus est, dicens Maximū minus quæ eum laborasse: cum ipse domi tanta bella cōpressisset, ille autē ociosus apud Rauennā resedisset. Sed tantū ualuit bellum Maximo, qui profectus est contra Maximinū, ut etiā uictoria decerneretur, quā impletam ille nesciuit. Exercitū igitur suscepto Maximini, ad urbē cum ingenti pompa, & multitudine Maximus uenit mœrētibus militibus, quod eum imperatorem, quem ipsi delegerant, perdiderāt: & eos habebant, quos senatus legerat. Nec dissimulari poterat mœror, quia apparebat in frōtibus singulorum, & iam quidem nec uerbis abstinebatur: quāuis Maximus & apud milites sæpe dixisset, obliuionē prætoriorū esse debere, & stipendia magna donasset, & auxilia in ea loca, quæ delegerant, dimisisset. Sed animi militū semel imbuti odio, refrenari nequeunt. Deniq; cū audisset senatus acclamationes, quæ milites tangerēt, acriores contra Maximū, & Balbinū extiterunt, secū quotidie cogitantes, quos imperatores facere deberent. Senatusconsulti autē, quo moti sunt, hæc forma est. Cum ingredienti urbē Maximo Balbinus, & Gordianus, & senatus, & populus Romanus obuiā processissent, acclamationes primū publicæ fuerunt, quæ milites cōtingerent. Inde in senatū itū est: ubi post illa, quæ cōmunia solēt esse festa, dictū est. Sapiētē electi principes sic agunt, p̄ imperitos electi principes sic pereūt, cū cōstaret à militibus factū esse Maximinū, Balbinū autē & Maximū à senatorib⁹. His auditis, milites grauius sauire cœperūt in senatu, præcipue qui sibi triūphare de militibus uidebat. Et Balbinus quidē cum Maximo urbē cū magna moderatione gaudente senatu, & populo Romano regebāt: senatui plurimū deferebat, leges optimas cōdebant, moderate causas audiebāt, res bellicas pulcherrime disponebant. & cum iam paratum esset, ut contra Parthos Maximus proficisceretur, Balbinus contra Germanos, puer autē Gordianus Romæ remaneret, milites occasionem quærentes occidendorū principum: cum primo inuenire uix possent, quia Germani stipabant Maximū, atq; Balbinum, quotidie ingrauescebant. Et erant quidem discordiæ inter Balbinum, & Maximū, sed tacitæ, & quæ intelligerētur potius, quæ uiderentur. Cum Balbinus Maximū quasi ignobilem cōtemneret, Maximus Balbinū quasi debilem calcareret. Quare occasio militibus data est, intelligētibus facile discordes imperatores posse interfici. Ludis deniq; scenicis, cū multi & milites, & aulici occupati essent, & in palatio soli cum Germanis principes remansissent, impetū in eos fecerunt. Turbantibus igitur militibus, cū primū nunciatū esset Maximo turbā illam, tempestatēq; uix euadi posse, nisi ad Germanos mitteret, & forte in alia parte palatii Germani cū Balbino essent, mittit ad Balbinū Maxim⁹ petēs, ut ei præsidium mitteret. Sed ille suspicatus, quod cōtra se eos peteret, quē putabat monarchiā uelle, primū frustratus est, deinde usq; ad litē peruentū est. in hac tamē seditione illis cōtendētibus milites supuenerūt, atq; ambos eos nudatos uestibus regalibus de palatio cū iniurijs, pduxerunt, & p̄ mediā ciuitatē ad castra raptare uoluerunt magna ex parte laniatos. Sed ubi cōpererūt Germanos ad defensionē illorum

illorū superuenire, ambos occiderunt, & in itinere medio reliquerunt. Inter hæc Gordianus Cæsar sublatus à militibus imperator est appellatus, id est Augustus: quia non erat alius in præfenti insultantibus militibus senatui, & populo, qui se statim in castra receperunt. Germani sanè ne sine causa pugnaret, occisis iam imperatoribus suis, extra urbem, ubi suos habebant, se contulerunt. Hunc finem habuerunt boni imperatores indignū uita, & moribus suis. Nam neq; Maximo, siue Pupieno fortius, neque Balbino benignius fuit quicq;: quod re ipsa intelligi potest. Neq; enim cum esset potestas, malos senatus eligeret. Huc accedit, quod multis honoribus, ac potestatibus explorati sunt, cum alter bis COS. & præfectus, alter COS. & præfectus ad imperium longæui peruenissent amabiles senatui, & populo etiā: quia Maximinū iam leuiter pertimescebāt. Hæc sunt quæ de Maximo ex Herodiano Græco scriptore magna ex parte collegimus. Sed multi non à Maximo, uerum à Pupieno imperatore apud Aquileiam Maximinū esse uictum dixerunt, & ipsum cum Balbino esse occisum, ita ut Maximi nomen prætereant. Tanta est autem historicorū inter se errantium imperitia, uel usurpatio: ut multi eundem Maximū, quem Pupienū uelint dici, cum Herodianus uitæ suæ temporum scriptor Maximū dicat, nō Pupienum: cum & Dexippus Græcorum scriptor, Maximū & Balbinū imperatores dicat factos contra Maximinum post Gordianos duos, & à Maximo uictum Maximinū, non à Pupieno. His accedit alia scriptorū imperitia, qui præfectum prætorij fuisse Gordianū paruulum dicunt, ignorantibus multis collo sæpe uectū, ut militibus ostenderetur. Imperarunt autē Maximus & Balbinus anno uno, cum Maximinus imperasset cum filio, ut quidā dicunt, per trienniū: ut alij, per bienniū. Nec reticendum est, quod Maximus, cum & sibi, & Balbino deferretur iudicio senatus imperium, Balbino dixisse fertur, ut Herodianus dicit: Quid tu Balbine, & ego merebimur, cum hanc tam immanē belluam exitio dederimus? Cumq; Balbinus dixisset: senatus, populiq; Romani feruentissimū amorem, & orbis terrarū, dixisse fertur Maximus: Vereor ne militum odium sentiamus, & mortem. Domus Balbini etiā nunc Romæ ostenditur in Carinis magna & potens, & ab eius familia hucusq; possessa. Maximus, quem Pupienū pleriq; putant, summæ tenuitatis, sed uirtutis amplissimæ fuit. Sub his pugnatum à Carpis contra Mæcos fuit, & Scythici belli principium, & Histricæ excidium eo tempore: ut autē Dexippus dicit, Histricæ ciuitatis. Dexippus Balbinū satis laudat, & dicit forti animo militibus occurrisse, atq; interfectum: ut mortē nō timeret, quē in omnibus disciplinis instructū fuisse dicit. Maximū uero negat eiusmodi uirum fuisse, qualem Græci pleriq; dixerunt. Addidit præterea contra Maximinū Aquileiensū odium fuisse, ut de crinibus mulierū suarū arcibus neruos facerent, atq; ita sagittas emitterent. Dexippus & Herodianus, qui horum principum historiā persecuti sunt, Maximum, & Balbinū fuisse principes dicūt, delectos à senatu contra Maximinū post interitum duorū Gordianorū in Africa, cum quibus etiā puer tertius Gordianus electus est. Sed apud Latinos scriptores plerosq; Maximi nomen nō inuenio, & cum Balbino Pupienū imperatorem

torem

torem reperio, usq; adeo ut idem Pupienus cū Maximino apud Aquileiam pug-
 gnasse dicatur cōmemoratis historicis asserentibus: ne Maximus quidem con-
 tra Maximinū pugnassee doceatur, sed resedisse apud Rauēnam, atq; illic patra-
 tam audisse uictoriam: ut mihi uideatur idem esse Pupienus, qui Maximus di-
 citur. Quare etiā gratulatoriā epistolam subdidi, quæ scripta est à COS. sui tem-
 poris de Pupieno, & Balbino: in qua latat redditā ab his post latrones impro-
 bos esse rempublicam. Pupieno, & Balbino Augustis Claudius Iulianus.
 » Cum primum Iouis OPT. MAX. & deorum immortalium, senatusq; iudi-
 » cio, & cōsensu generis humani suscepisse uos Remp. à nefarij latronis scelere ser-
 » uandā, reddendamq; Romanis legibus domini sanctissimi, & inuictissimi Au-
 » gusti, quantū nondum ex uestris literis, sed tamē ex spiritu, quod ad me V. C.
 » Celsus Aelianus collega trāsmiserat, comperissem: gratulatus sum urbi Romæ
 » cuius ad salutē estis electi: gratulatus senatui, cuius, pro iudicio, quod in uos ha-
 » buit, reddidistis pristinam dignitatē: gratulatus Italiæ, quā cum maxima ab ho-
 » stibus uastatione defendistis: gratulatus prouincijs, quas inexplibili auaritiā ty-
 » rannorū laceratas ad spem salutis reduxistis. Deniq; de legionibus ipsis, & au-
 » xilijs, quæ ubiq; terrarum iam uultus uestros adorant, qui deposito dedecore
 » pristino nunc in uestro nomine dignā Romani principatus speciem receperūt.
 » Quocirca nulla uox fortis, nulla oratio felix, nullum ingenium tam fecundum
 » unquam fuerit, quod possit publicam felicitatem digne exprimere: quæ quāta,
 » & cuiusmodi sint, iam in ipso exordio principatus uestri cognoscere potuimus:
 » qui leges Romanas, æquitatemq; abolitam, & clementiā, quæ iam nulla erat,
 » & uitam, & mores, & libertatem, & spem successionū, atq; hæredum reduxistis.
 » Hæc enumerare difficile est, nedum prosequi consentanea dicendi dignitate.
 » Nam quod nobis uita per uos reddita est, cum dimissis passim per prouincias
 » carnificibus, sic elatus latro surrexit, ut se ordini profiteretur iratum, quomodo
 » dicam aut prosequar: præsertim cum mediocritas mea non modo publicam fe-
 » licitatem, sed ne peculiare quidem gaudiū animi mei possit exprimere: cum eos
 » Augustos, & principes generis humani uideam, quorum antehac perpetuo cul-
 » tu mores, & modestiam miram tantū ueteribus censoribus meis cuperem pro-
 » batam, & hæc esse confidam in priorum principum testimonijs uestris. Tamen
 » ut grauioribus iudicijs gloriæ dij præstant, præstabuntq; hanc urbi Romanæ
 » felicitatem. Nam cum ad uos respicio, nihil aliud optare possum, quàm quod
 » apud deos dicitur uictor Carthaginis precatus: ut scilicet in eo statu Remp. ser-
 » uaret, in quo tunc esset, quod nullus melior inueniretur. Ita ego precor, ut in eo
 » statu uobis Rempub. seruent, in quo eam uos adhuc nutantem collocauistis.
 » Hæc epistola probat Pupienum eundem esse, qui à plerisq; Maximus dicitur
 » nomine paterno. Siquidē per hæc tempora apud Græcos nō facile Pupienus,
 » apud Latinos non facile Maximus inueniatur. Et ea quæ sunt gesta cōtra Ma-
 » ximinū, modo à Pupieno, modo à Maximo acta dicant. Sed Fortunatiano cre-
 » damus, qui dicit Pupienum dictum nomine suo, cognomine uero paterno Ma-
 » ximum, ut omnium stupore legentibus aboliti uideantur.

H Treuellij